

<http://rcin.org.pl>

TEKSTY FILOMATY

Nr. 9

CORNELIUS NEPOS

ŻYWOTY SŁAWNYCH MĘŻÓW

MILTIADES, THEMISTOCLES,
ARISTIDES, ALCIBIADES,
EPAMINONDAS



FILOMATA, LWÓW, UNIWERSYTET 1937

I. TEKSTY FILOMATY

Cena zeszytu 45 gr (dla Filomatów 35 gr)

1. Horatius, Satyry i Listy
2. „ Ody i Epody
3. Vergilius, Bukoliki i Georgica
4. „ Aeneis ks. I i II
5. „ „ ks. IV i VI
6. Ovidius, Metamorphoseon libri
7. „ Heroidy, Fasti, Tristia.
8. Phaedrus, Bajki.
9. Corn. Nepos, Zyciorysy
10. „ „ „
11. Caesar, Bellum Gallicum
12. „ Bellum Civile
13. Sallustius, Bellum Catilinae
14. „ Bellum Iugurthinum
15. Cicero, In Catilinam I. IV
16. „ Pro Archia. Pro Ligario
17. „ Pro Milone
18. „ De imperio Cn. Pompei
19. „ Verrinae
20. „ Laelius. Cato Maior
21. „ Tusculanae disputationes
22. „ De officiis
23. „ De re publica (Somnium Scip.)
24. „ Theologica (De nat. deor., De divin.)
25. „ Rhetorica
26. „ Listy
27. Livius, Dzieje rzymskie ks. I
28. „ Dzieje rzymskie ks. II-X
29. „ Dzieje rzymskie ks. XXI. XXII
30. Tacitus, Germania
31. „ Annales
32. „ Historiae.
33. Plautus, Menaechmi
34. Catullus, Poezje
35. Tibullus - Propertius, Elegie
36. Seneca, Pisma filozoficzne

TEKSTY FILOMATY Nr. 9



CORNELIUS NEPOS

ŻYWOTY SŁAWNÝCH MĘZÓW

WYDAŁ

RYSZARD GANSZYNEC



INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN
BIBLIOTEKA
00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 73
Tel. 26-68-63

LWÓW 1937

NAKŁADEM FILOMATY, LWÓW, UNIWERSYTET

<http://rcin.org.pl>

Cornelius Nepos, historyk współczesny Ciceronowi i przyjaciel Attika, urodził się ok. r. 100 w Ticinum (Gallia Cisalpina) i umarł ok. r. 25 przed Chr.; jemu to Catullus dedykował swój zbiór wierszy. Z licznych jego dzieł historycznych (np. *Chronica* albo *Annales* w 3 księgach — rodzaj historii powszechniej, *Exempla* w 5 księgach — przykłady cnót dawniejszych Rzymian itd.), zachowały się tylko szczątki głównego jego dzieła *De viris illustribus*, które w 16 księgach podawało życiorysy królów (1 i 2 ks.), dowódców (3 i 4 ks.), prawodawców (5 i 6 ks.), mowców (7 i 8 ks.), poetów (9 i 10 ks.), historyków (11 i 12 ks.), a mianowicie w nieparzystych księgach żywoty Greków (także Persów i Karthagińczyków), w parzystych zaś Rzymian. Zachowane części pt. *De excellentibus ducibus exterarum gentium* odnoszą się do księgi III powyższego dzieła, końcowe zaś żywoty Catona i Attika do księgi XII *De historicis Latinis*. — Przekład Neposa wydał zespół kadetów w r. 1787 w Warszawie. — Objasnienia daje wydanie: Corn. Nepos, *Żywoty sławnych mężów* z komentarzem (Zbiór Pisarzy Klasycznych nr. 8, Filomata).

Dalsze wiadomości dają: Corn. Nepos, *Żywoty sławnych mężów* z komentarzem (Zbiór Pisarzy Klasycznych nr. 8); Corn. Nepos, *De viris illustribus* (zupełne wydanie krytyczne, Filomata); T. M. Lewicki, *Z dni klęsk i chwały* (Bibl. Filomaty nr. 36 — wojny perskie); Z. Schulbaum, *Aspasia* (Bibl. Filomaty nr. 5 — epoka Periklesa). T. M. Lewicki, *O triumfie rzymskim* (tamże nr. 1) i *W szkole ateńskiej* (tamże nr. 2); B. r. Bieliński, *Hannibal* (tamże nr. 17).

Rok I. — Miesiąc: Wrzesień — Cena 45 gr (35 gr).
Wydawca: Ryszard Gąszyński, Lwów, Uniwersytet

TŁOCZONO W DRUKARNI NAUKOWEJ, LWÓW, ORMIAŃSKA 8, TEL. 253-10

Miltiades

Historia zna dwóch Miltiadesów: jednego, założyciela kolonii ateńskiej na Chersonesie i władcę nad Chersonesem i jego bratanka Miltiadesa młodszego, pioniera helleńskiej kultury wśród Thraków, bohatera marathońskiego; Nepos uważa ich mylnie za jedną osobę. Ten młodszy Miltiades objął po stryju władzę nad Chersonesem jako dyktator (*τύραννος*) i stoczył zwycięskie boje z barbarzyńcami. W czasie wyprawy króla perskiego Dareiosa (516 r. przed Chr.) przeciw Skythom musiał z innymi książetami greckimi brać udział w zabezpieczeniu Persów: wtedy to Miltiades miał namawiać rodaków do zburzenia mostu na Dunaju i zgładzenia w ten sposób cofającej się armii Dareiosa. Faktem jest, że Miltiades poparł bunt miast jońskich i po jego zgnieceniu udał się w r. 493 do Athen, aby wziąć czynny udział w odparciu spodziewanego napadu Persów: Doszło do bitwy pod Marathonem (490 r.), wygranej dzięki energii i taktyce Miltiadesa (T. M. Lewicki, *Z dni klęsk i chwali [Bibl. Filomaty nr. 36]*). Jemu Athenicy powierzyli losy dalszej wojny, ale gdy w r. 489 po bezskutecznym oblężeniu Paros ranny wrócił do Athen, oskarżono go o zdradę, skazano na wysoką grzywnę i wtrącono do więzienia, gdzie niebawem zmarł.

1 Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, cum et antiquitate generis et gloria maiorum et sua modestia unus omnium maxime floreret eaque esset aetate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem eum futu-

rum, qualem cognitum iudicarunt, accidit ut Athene-
 2 nienses Chersonesum colonos vellent mittere. cuius
 generis cum magnus numerus esset et multi eius
 demigrationis peterent societatem, ex his delecti
 Delphos deliberatum missi sunt qui consulerent Apol-
 linem, quo potissimum duce uterentur. namque tum
 Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis
 3 erat dimicandum. his consulentibus nominatim Pythia
 praecepit, ut Miltiadem imperatorem sibi sumerent:
 4 id si fecissent, incepta prospera futura. hoc oraculi
 responso Miltiades cum delecta manu classe Chero-
 sonesum profectus cum accessisset Lemnum et in-
 colas eius insulae sub potestatem redigere vellet
 Atheniensium, idque Lemnii sua sponte facerent
 5 postulasset, illi irridentes responderunt tum id se
 facturos, cum ille domo navibus proficiscens vento
 aquilone venisset Lemnum. hic enim ventus ab sep-
 tentrionibus oriens adversum tenet Athenis profi-
 6 ciscentibus. Miltiades morandi tempus non habens
 cursum direxit, quo tendebat, pervenitque Chero-
 nesum.

2 Ibi brevi tempore barbarum copiis disiectis
 tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis
 idonea communiit, multitudinem, quam secum dux-
 erat, in agris collocavit crebrisque excursionibus lo-
 2 cupletavit. neque minus in ea re prudentia quam
 felicitate adiutus est. nam cum virtute militum de-
 vicisset hostium exercitus, summa aequitate res con-
 3 stituit atque ipse ibidem manere decrevit. erat enim
 inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine

neque id magis imperio quam iustitia consecutus,
neque eo setius Atheniensibus, a quibus erat pro-
fектus, officia praestabat. quibus rebus fiebat ut non
minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret,
qui miserant, quam illorum, cum quibus erat pro-
4 fectus. Chersoneso tali modo constituta Lemnum
revertitur et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant.
illi enim dixerant, cum vento borea domo profectus
eo pervenisset, sese dedituros: se autem domum
5 Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incole-
bant, etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen
non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti
resistere ausi non sunt atque ex insula demigrarunt;
pari felicitate ceteras insulas, quae Cyclades nomi-
nantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

3 Eisdem temporibus Persarum rex Darius ex
Asia in Europam exercitu traecto Scythis bellum
inferre decrevit. pontem fecit in Histro flumine, qua
kopias traduceret. eius pontis, dum ipse abesset,
custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia
et Aeolide duxerat, quibus singulis ipsarum ur-
2 bium perpetua dederat imperia. sic enim facil-
lime putavit se Graeca lingua loquentes, qui
Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate,
si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus
se oppresso nulla spes salutis relinqueretur. in hoc
fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crede-
3 retur. hic cum crebri afferrent nuntii male rem
gerere Darium premique a Scythis, Miltiades hor-
tatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occa-

- 4 sionem liberandae Graeciae dimitterent. nam si cum iis copiis, quas secum transportarat, interisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo: et facile effici posse. ponte enim rescisso regem vel hostium
 5 ferro vel inopia paucis diebus interitum. ad hoc consilium cum plerique accederent, Hestiaeus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire et multitudini, quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio: quo exstincto ipsos potestate expulsos civibus suis poenas daturos. itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius quam
 6 confirmari regnum Persarum. huius cum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans tam multis consciis ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit ac rursus Athenas demogravit. cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, cum amicior omnium libertati quam suae fuerit dominationi.
- 4 Darius autem, cum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit eique Datim praefecit et Artaphernem hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit, causam intersetens se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent
 2 suaque praesidia interfecissent. illi praefecti regii classe ad Euboeam appulsa celeriter Eretriam cepe-

runt omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. inde ad Atticam accesserunt ac suas copias in campum Marathonum deduxerunt.

3 is est ab oppido circiter milia passuum decem. hoc tumultu Athenienses tam propinquum tamque magno permoti auxilium nusquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt Phidippumque cursorem eius generis, qui hemerodromoe vocantur, Lacedaemonem miserunt,

4 ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. domi autem creant decem praetores, qui exercitui praeessent, in eis Miltiadem. inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent an obviam

5 irent hostibus acieque decernerent. unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent auderi adversus se tam exiguis copiis dimicari.

5 Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus, auxilio fuit praeter Plataeenses. ea mille misit militum. itaque horum adventu decem milia armatorum completa sunt, quae manus mirabili flagrabat

2 pugnandi cupiditate. quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valeret. eius ergo auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque

3 idoneo castra fecerunt. dein postero die sub montis radicibus acie regione instructa non apertissuma proelium commiserunt (namque arbores multis locis erant rarae) hoc consilio, ut et montium altitudine, tegerentur et arborum tractu equitatus hostium im-

4 pediretur, ne multitudine clauderentur. Datis etsi non aequum locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum configere cupiebat, eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. itaque in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit
 5 proeliumque commisit. in quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarint, adeoque perterruerint, ut Persae non castra, sed naves petierint. qua pugna nihil adhuc exstitit nobilior: nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

6 Cuius victoriae non alienum videtur quale praemium Miltiadi sit tributum docere, quo facilius intellegi possit eandem omnium civitatum esse nat
 2 turam. ut enim populi Romani honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti, sic olim apud
 3 Athenienses fuisse reperimus. namque huic Miltiadi, quia Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos tributus est, in porticu, quae Poecile vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima eius imago poneretur isque
 4 hortaretur milites proeliumque committeret. idem ille populus, posteaquam maius imperium est nactus et largitione magistratum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

7 Post hoc proelium classem LXX navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quae barbaros adiuverant, bello persequeretur. quo im
<http://rcin.org.pl>

perio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas
2 vi expugnavit. ex his Parum insulam opibus elatam
cum oratione reconciliare non posset, copias e na-
vibus eduxit, urbem operibus clausit omniue com-
meatu privavit, dein vineis ac testudinibus constitu-
3 tis proprius muros accessit. cum iam in eo esset,
ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui
ex insula conspiciebatur, nescio quo casu nocturno
tempore incensus est. cuius flamma ut ab oppida-
nis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in
4 opinionem signum a classiariis regis datum. quo
factum est, ut et Parii a deditione deterrentur et
Miltiades, timens ne classis regia adventaret, incen-
sis operibus, quae statuerat, cum totidem navibus
atque erat prefectus Athenas magna cum offensione
5 civium suorum rediret. accusatus ergo est prodi-
tionis, quod, cum Parum expugnare posset, a rege
corruptus infectis rebus discessisset. eo tempore
aeger erat vulneribus, quae in oppugnando oppido
acceperat. itaque quoniam ipse pro se dicere non
6 posset, verba fecit frater eius Stesagoras. causa
cognita capititis absolutus pecunia multatus est, eaque
lis quinquaginta talentis aestimata est, quantus in
classem sumptus factus erat. hanc pecuniam quod
solvere in praesentia non poterat, in vincla publica
coniectus est ibique diem obiit supremum.

8 Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen
alia causa fuit damnationis.. namque Athenienses
propter Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante
fuerat, omnium civium suorum potentiam extimesce-

2 bant. Miltiades, multum in imperiis magistratibusque
versatus, non videbatur posse esse privatus, praesertim
cum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi vide-
3 tur. nam Chersonesi omnes illos quos habitarat
annos perpetuam obtainuerat dominationem tyran-
nusque fuerat appellatus, sed iustus. non erat enim
vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque po-
testatem bonitate retinebat. omnes autem et di-
cuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt per-
4 petua in ea civitate, quae libertate usa est. sed in
Miltiade erat cum summa humanitas tum mira com-
munitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad
eum aditus pateret; magna auctoritas apud omnis
civitatis, nobile nomen, laus rei militaris maxima.
haec populus respiciens maluit illum innoxium plecti
quam se diutius esse in timore.

Themistocles

Themistokles występuje jako przywódca partii demokratycznej w Athenach w r. 493: zepchnięty w cień chwilowo przez Miltiadesa, wypływa znowu po jego śmierci, aby przez blisko 20 lat kierować losami ojczyzny i wydzwignąć ją na pierwszą potęgę Hellady. Jego zasługą jest budowa portu Peiraieusu, połoczenie miasta fortyfikowaną drogą z tym portem, oraz utworzenie floty ateńskiej, przez co Atheny stały się w ówczesnym świecie tym, czym za naszych czasów jest Anglia: panią morza i wysp. Zwycięstwo floty ateńskiej w cieśninie salamińskiej (480 r. przed Chr.) jest zasługą Themistokla (T. Lewicki, *Z dni klęsk i chwali Filomaty nr. 36*). Ale minęła i jego popularność: w r. 470 sąd skorupkowy skazał go na wygnanie. Osiadł ostatecznie w Magnesji nad Maiandrem, gdzie umarł w r. 450 przed Chr.

1 *Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. huius
vitia ineuntis adulescentiae magnis sunt emendata
virtutibus, adeo ut anteferatur huic nemo, pauci*
2 *pares putentur. sed ab initio est ordiendus. pater
eius Neocles generosus fuit. is uxorem Acarnanam
civem duxit, ex qua natus est Themistocles. qui
cum minus esset probatus parentibus, quod et li-
berius vivebat et rem familiarem neglegebat, a patre
exheredatus est. quae contumelia non fregit eum,*
3 *sed erexit. nam cum iudicasset sine summa in-
dustria non posse eam extingui, totum se dedidit*

rei publicae, diligentius amicis famaeque serviens. multum in iudiciis privatis versabatur, saepe in conditionem populi prodibat; nulla res maior sine eo gerebatur; celeriter quae opus erant reperiebat.

4 facile eadem oratione explicabat, neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod et de instantibus, ut ait Thucydides, verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat. quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

2 Primus autem gradus fuit capessendae rei publicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam 2 reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium 3 aedificaretur. qua celeriter effecta primum Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones consecitando mare tutum reddidit. in quo cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello 4 cognitum est Persico. nam cum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae cum tantis copiis, quantas neque ante nec postea habuit quis- 5 quam: huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia oneriarum sequebantur, terrestres autem exercitus septingenta pe- 6 ditum, equitum quadringenta milia fuerunt. cuius de adventu cum fama in Graeciam esset perlata et maxime Athenienses peti dicerentur propter pugnam Maratho-

niam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. deliberantibus Pythia respondit, ut moe-
 7 nibus ligneis se munirent. id responsum quo valeret cum intellegerer nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent:
 8 eum enim a deo significari murum ligneum. tali consilio probato addunt ad superiores totidem naves triremes suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina, partim Troezena deportant: arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

3 Huius consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat. itaque missi sunt delecti cum Leonida, Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur. ii vim hostium non susti-
 2 nuerunt eoque loco omnes interierunt. at classis communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classiariis regiis conflixit. angustias enim Themis-
 3 stocles quaerebat, ne multitudine circuiretur. hinc etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset,
 4 ancipi premerentur periculo. quo factum est, ut ab Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

4 At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit astu idque nullis defendantibus interfectis

sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio de-
 2 levit. cuius flamma perterriti classiarii cum manere
 non auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas
 discederent moenibusque se defenderent, Themis-
 tocles unus restitit et universos pares esse posse
 aiebat, dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi,
 regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii
 3 praeerat, fore affirmabat. quem cum minus quam
 vellet moveret, noctu de servis suis quem habuit
 fidelissimum ad regem misit, ut ei nuntiaret suis
 4 verbis, adversarios eius in fuga esse : qui si disces-
 sissent, maiore cum labore et longinquiore tempore
 bellum confecturum, cum singulos consecitari cog-
 retur : quos si statim aggredieretur, brevi universos
 oppressurum. hoc eo valebat, ut ingratis ad de-
 5 pugnandum omnes cogerentur. hac re audita bar-
 barus, nihil doli subesse credens, postridie alienis-
 simo sibi loco, contra opportunissimo hostibus adeo
 angusto mari conflixit, ut eius multitudo navium
 explicari non potuerit. victus ergo est magis etiam
 consilio Themistocli quam armis Graeciae.

5 Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habe-
 bat reliquias copiarum, ut etiam tum iis opprimere
 posset hostes: iterum ab eodem gradu depulsus est.
 nam Themistocles, verens ne bellare perseveraret,
 certiore eum fecit id agi, ut pons, quem ille in
 Hellesponto fecerat, dissolveretur ac reditu in Asiam
 2 excluderetur, idque ei persuasit. itaque qua sex
 mensibus iter fecerat, eadem minus diebus XXX in
 Asiam reversus est seque a Themistocle non supe-

3 ratum, sed conservatum iudicavit. sic unius viri prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia. haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo. nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

6 Magnus hoc bello Themistocles fuit neque minor in pace. cum enim Phalerico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, huius consilio triplex Piraei portus constitutus est iisque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate

2 aequiperaret, utilitate superaret. idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo. namque Lacedaemonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem muros habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedifi-

3 cantes prohibere sunt conati. hoc longe alio spectabat atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentis erant consecuti, ut intellegerent Lacedaemonii de principatu sibi cum iis

4 certamen fore. quare eos quam infirmissimos esse volebant. postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. his praesentibus desierunt ac se de ea re legatos ad

5 eos missuros dixerunt. hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri exstructa videretur, praeceperit: interim omnes, servi atque

liberi, opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer sive profanus sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. quo factum est ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

- 7 Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens se
 2 collegas exspectare. cum Lacedaemonii quererentur opus nihilo minus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. a quibus cum audisset non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit falsa iis esse delata: quare aequum esse illos viros bonos nobilesque mittere quibus fides haberetur, qui rem explorarent: interea se obsidem retinerent.
 3 gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci iisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent
 4 quam ipse esset remissus. hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit et apud eos liberrime professus est: Atheniensis suo consilio, quod communione gentium facere possent, deos publicos suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris saepsisse neque in eo quod inutile
 5 esset Graeciae fecisse. nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris, apud quam

6 iam bis classes regias fecisse naufragium. Lacedaemonios autem male et iniuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi quam quod universae Graeciae utile esset. quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos numquam in patriam essent recepturi.

8 Tamen non effugit civium suorum invidiam. namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate electus
 2 Argos habitatum concessit. hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Perse ad
 3 Graeciam opprimendam fecisset. hoc crimine absens prodigionis damnatus est. id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. ibi cum eius principes animadvertisset timere, ne propter se bellum iis Lacedaemonii et Athenienses indicerent, ad Admetum, Molossum regem, cum quo
 4 ei hospitium erat, confugit. huc cum venisset et in praesentia rex abesset, quo maiore religione se receptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit et cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia, coniecit. inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet, quam
 5 praestitit. nam cum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit monuitque, ut consuleret sibi: difficile enim esse in iam propinquuo loco tuto eum versari. itaque

Pydnam eum deduci iussit et quod satis esset
 6 praesidii dedit. hic in navem omnibus ignotus
 nautis escendit. quae cum tempestate maxima Na-
 xum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus,
 sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse
 pereundum. hac necessitate coactus domino navis,
 qui sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset.
 7 at ille clarissimi viri captus misericordia diem noc-
 temque procul ab insula in salo navem tenuit in
 ancoris neque quemquam ex ea exire passus est.
 inde Ephesum pervenit ibique Themistoclen exponit.
 cui ille pro meritis postea gratiam rettulit.

9 Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclen
 Xerxe regnante in Asiam transisse. sed ego potis-
 simum Thucydidi credo, quod aetate proximus de-
 iis, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et
 eiusdem civitatis fuit. is autem ait ad Artaxerxen
 eum venisse atque his verbis epistulam misisse:
 2 'Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium
 Graiorum in domum tuam intuli, quamdiu mihi ne-
 cessere fuit adversum patrem tuum bellare patriamque
 3 meam defendere. idem multo plura bona feci,
 postquam in tuto ipse et ille in periculo esse coepit.
 nam cum in Asiam reverti vellet proelio apud Sala-
 mina facto, litteris eum certiores feci id agi, ut
 pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolvetur
 atque ab hostibus circumiretur: quo nuntio ille pe-
 4 riculo est liberatus. nunc autem confugi ad te
 exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam:
 quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum

habebis, quam fortē inimicum ille expertus est.
ea autem rogo, ut de iis rebus, quas tecum colloqui
volo, annuum mihi tempus des eoque transacto
ad te venire patiaris.'

- 10** Huius rex animi magnitudinem admirans cu-
piensque talem virum sibi conciliari veniam dedit.
ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum
se dedidit: quibus adeo eruditus est, ut multo com-
modius dicatur apud regem verba fecisse, quam ii
2 poterant, qui in Perside erant nati. hic cum multa
regi esset pollicitus gratissimumque illud, si suis uti
consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum,
magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam
3 rediit domiciliumque Magnesiae sibi constituit. nam-
que hanc urbem ei rex donarat, his quidem usus verbis,
quae ei panem paeberet (ex qua regione quinqua-
ginta talenta quotannis redibant), Lampsacum autem,
unde vinum sumeret, Myunta, ex qua obsonium
haberet.

- Huius ad nostram memoriam monumenta man-
serunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est
4 sepultus, statua in foro Magnesiae. de cuius morte
multimodis apud plerosque scriptum est, sed nos
eundem potissimum Thucydidem auctorem proba-
mus, qui illum ait Magnesiae morbo mortuum neque
negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse,
cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus
5 esset, praestare posse desperaret. idem ossa eius
clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus
non concederetur, quod proditionis esset damnatus,
memoriae prodidit.

Aristides

Aristeides był przeciwnikiem politycznym Themistoklesa, który go usunął w r. 482 przez sąd skorupkowy: ale już po 3 latach wrócił Aristeides z wygnania, aby bronić ojczyzny: w 479 r. pobił dowódcę perskiego Mardoniosa pod Plataiami. Jego zasługą jest utworzenie Delijskiego Związku Morskiego w 478 r., przez co zapewnił Athenom supremację morską. Umarł w r. 464 przed Chr. w ubóstwie, mimo że zarządzał milionowymi skarbami, i zostawił po sobie sławę patriota ofiarnego i polityka o czystych rękach.

- 1 Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere fuit Themistocli, itaque cum eo de principatu
- 2 contendit: namque obtrectarunt inter se. in his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae. quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quem quidem nos audierimus, cognomine Iustus sit appellatus, tamen a Themistocle collabefactus testula illa
- 3 exilio decem annorum multatus est. qui quidem cum intellegereret reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadvertisset quendam scribentem, ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dicitur, quare id faceret aut quid Aristides com-
- 4 misisset, cur tanta poena dignus duceretur. cui ille

respondit se ignorare Aristiden, sed sibi non placere, quod ille cupide elaborasset, ut praeter ceteros
 5 Iustus appellaretur. hic X annorum legitimam poenam non pertulit. nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

2 Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius quam poena liberaretur. idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est. neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum quam huius imperii memoria, iustitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, in primis quod eius aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut sumna imperii maritimy ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses:
 3 namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. tum autem et intemperantia Pausaniae et iustitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.

3 Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classis aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret, eiusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata: id enim commune aerarium esse voluerunt. quae omnis pecunia postero

- 2 tempore Athenas translata est. hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium quam quod, cum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit,
3 ut qui efferretur vis reliquerit. quo factum est, ut filiae eius publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur, decessit autem fere post annum quartum quam Themistocles Athenis erat expulsus.

A l c i b i a d e s

Alkibiades urodził się ok. r. 452 przed Chr. w Athenach i wychował się po śmierci ojca Kleiniasa, który zginął w bitwie pod Koroneią w r. 447, u swego opiekuna Periklesa, który wówczas dzierżył ster polityki ateńskiej (por. Z. Schulbaum, *Aspasia* [Bibl. Filomaty nr. 5]). Otrzymał wykształcenie sofistyczne; na jego wychowanie wpłynął może Sokrates, który mu uratował życie w bitwie pod Potidaią (432 r.) — odwzajemnił mu się Alkibiades w bitwie pod Delion (424 r.). W wojnie peloponneskiej wybił się jako dowódca (strateg 420 r.) i uzyskał dzięki temu wpływ na politykę. Wojenne jego działania przeciw Sparcie, podjęte w r. 419, były szczęśliwe; dlatego też Atheńczycy ulegli jego namowie co do ryzykownej ekspedycji sycylijskiej 415 r., skąd go jednak rodacy, ulegając machinacjom jego przeciwników, odwołali jako oskarżonego w procesie hermokopidów (bezpośrednio przed odpłynięciem floty nieznani sprawcy uszkodzili stojące przy drogach kamienie, tzw. hermesy): przewidując wynik procesu, uciekł Alkibiades do Thurioi, a Atheńczycy skazali go za znieważenie religii na śmierć, konfiskatę majątku i ekskomunikację. Alkibiades mścił się srogo na rodakach, podawając przez lat kilka plany strategiczne Spartanom, dające im olbrzymią przewagę. Widząc jednak, że Spartanie mu nie ufają, starał się o powrót do Athen: w 411 r. przyjęła go flota ateńska, którą prowadził do zwycięstwa i zmienił w ciągu 3 lat gruntownie położenie militarne Athen, które go w r. 408 nie tylko w pełni zrehabilitowały, lecz także wybrały na stratega na dalszy okres.

Jednak gdy jego podwładny Antiochos, podczas nieobecności Alkibiadesa i wbrew jego woli wydał bitwę Lysandrowi pod Notion (407 r.) i poniósł klęskę, Atheńczycy stracili zaufanie do Alkibiadesa, który wtedy udał się do swych dóbr na Chersonesie i naprzóźno starał się odwrócić klęskę rodaków pod Aigospotamoi (405 r.). Po upadku Athen udał się do Pharnabazosa, satrapy Daskylion, który kazał na żądanie Lysandra zamordować swego gościa we phrygijskim mieście Melissa (404 r.).

1 Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. in hoc quid natura efficere possit videtur experta. constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. natus in amplissima civitate summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus; ad omnes res aptus consiliique plenus (namque imperator fuit summus et mari et terra); disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; dives; cum tempus posceret, laboriosus, patiens; liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: idem, simul ac se remiserat neque causa suberat quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam.

2 Educatus est in domo Pericli (privignus enim eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. sacerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium ditissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque

plura bona reminisci neque maiora posset consequi,
quam vel fortuna vel natura tribuerat.

- 3 Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indiderunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est, duo praeterea collegae dati, Nicias et Lamachus. id cum appararetur, prius quam classis exiret, accidit ut una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, deicerentur praeter unum, qui ante ianuam erat Andocidi (itaque ille postea Mercurius Andocidis vocitatus est). hoc cum appareret non sine magna
 3 multorum consensione esse factum, quae non ad privatam, sed publicam rem pertineret, magnus multitūdini timor est iniectus, ne qua repentina vis in civitate exsisteret, quae libertatem opprimeret populi.
 4 hoc maxime convenire in Alcibiadē videbatur, quod et potentior et maior quam privatus existimabatur: multos enim liberalitate devinxerat, plures
 5 etiam opera forensi suos reddiderat. qua re fiebat, ut omnium oculos, quotienscumque in publicum prodisset, ad se converteret neque ei par quisquam in civitate poneretur. itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod et
 6 obesse plurimum et prodesse poterat. aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur (quod nefas erat more Atheniensium) idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur.
- 4 Hoc crimine in contione ab inimicis compellabantur. sed instabat tempus ad bellum proficiscendi.



id ille intuens neque ignorans civium suorum consuetudinem postulabat, si quid de se agi vellent, potius de praesente quaestio haberetur, quam absens
2 invidiae crimine accusaretur. inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intellegebant, et illud tempus exspectandum decreverunt, quo is exisset, ut absentem aggredierentur,
3 itaque fecerunt. nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra vio-
lasset, reum fecerunt. qua de re cum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciae bene administrandae, non parere noluit et in trierem, quae ad eum erat deportandum missa,
4 ascendit. hac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem, clam se ab custodibus subduxit et inde primum Elidem, dein Thebas
5 venit. postquam autem se capitis damnatum bonis publicatis audivit, et, id quod usu venerat, Eumolpidas sacerdotes a populo coactos ut se devovarent, eiusque devotionis quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse po-
6 situm in publico, Lacedaemonem demigravit. ibi, ut ipse praedicare consuerat, non adversus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quod eidem hostes essent civitati: nam cum intellegerent se plurimum prodesse posse rei publicae, ex ea eiecssisse plusque
7 irae suae quam utilitati communi paruisse. itaque

huius consilio Lacedaemonii cum Perse rege amicitiam fecerunt, dein Deceleam in Attica munierunt praesidioque ibi perpetuo posito in obsidione Athenas tenuerunt. eiusdem opera Ioniam a societate averterunt Atheniensium. quo facto multo superiores bello esse coeperunt.

- 5 Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti quam timore ab eo alienati. nam cum acerrimi viri praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt ne caritate patriae ductus aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in gratiam rediret. itaque tempus eius interficiundi
 2 quaerere instituerunt. id Alcibiades diutius celari non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset, praesertim cum animum attendisset ad cavendum. itaque ad Tissaphernem, praefectum regis
 3 Darii, se contulit. cuius cum in intimam amicitiam pervenisset et Atheniensium male gestis in Sicilia rebus opes senescere, contra Lacedaemoniorum crescere videret, initio cum Pisandro praetore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur et de reditu suo facit mentionem. erat enim eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiae non
 4 amicus et optimatum fautor. ab hoc destitutus primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur praetorque fit apud Samum, post suffragante Theramene populi scito restituitur parique absens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo
 5 et Theramene. horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante

victores viguerant, perterriti pacem peterent. victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus, in quibus ducentas naves triremes amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem.

6 Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Asiae quarum expugnarant complures, in his Byzantium, neque minus multis consilio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos cle-

7 mentia fuerant usi. ita praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt.

6 His cum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem vulgus confluenter,

2 proinde ac si solus advenisset. sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et praesentes secundas res accidisse eius opera. itaque et Siciliae amissum et Lacedaemoniorum victorias culpae suaे tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. neque id sine causa arbitrari videbantur. nam postquam exercitui praeesse cooperat, neque terra

3 neque mari hostes pares esse potuerant. hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simulque venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur, et, id quod numquam antea usu venerat nisi Olympiae victoribus, coronis laureis taeniisque vulgo donabatur. ille lacrumans talem benivolentiam ci-
vium suorum accipiebat, reminiscens pristini tem-

4 poris acerbitatem. postquam astu venit, contione

advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit,
 quin eius casum lacrumarit inimicumque iis se
 ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat, pro-
 inde ac si alius populus, non ille ipse qui tum fle-
 5 bat, eum sacrilegii damnasset. restituta ergo huic
 sunt publice bona, eidemque illi Eumolpidae sacer-
 dotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum devo-
 verant, pilaeque illae, in quibus devotio fuerat
 scripta, in mare praecipitatae.

- 7 Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diurna.
 nam cum ei omnes essent honores decreti totaque
 res publica domi bellique tradita, ut unius arbitrio
 gereretur, et ipse postulasset ut duo sibi collegae
 darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id ne-
 gatum esset, classe in Asiam profectus, quod apud
 Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invidiam
 recidit: nihil enim eum non efficere posse ducebant.
 2 ex quo fiebat ut omnia minus prospere gesta cul-
 pae tribuerent, cum aut eum neglegenter aut ma-
 litiose fecisse loquerentur, sicut tum accidit: nam
 corruptum a rege capere Cymen noluisse arguebant.
 3 itaque huic maxime putamus malo fuisse nimiam
 opinionem ingenii atque virtutis: timebatur enim
 non minus quam diligebar, ne secunda fortuna
 magnisque opibus elatus tyrannidem concupisceret.
 quibus rebus factum est, ut absenti magistratum
 abrogarent et alium in eius locum substituerent.
 4 id ille ut audivit, domum reverti noluit et se Pactyen
 contulit ibique tria castella communiit, Ornos, Bi-
 zanthen, Neontichos, manuque collecta primus Grae-

iae civitatis in Thraeciam introiit, gloriosius existimans barbarorum praeda locupletari quam Graiorum.
 5 qua ex re creverat cum fama tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraeciae pepererat.

8 Neque tamen a caritate patriae potuit recedere. nam cum apud Aegos flumen Philocles, praetor Atheniensium, classem constitisset suam neque longe abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur, contra Atheniensibus exhaustis praeter arma et na-
 2 ves nihil erat super, Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere coepit: si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere spopondit; Lacedaemonios eo nolle classe configere, quod pedestribus copiis plus quam
 3 navibus valerent; sibi autem esse facile Seuthem, regem Thraecum deducere, et eum terra depelleret: quo facto necessario aut classe conflicturum aut
 4 bellum compositurum. id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit, quod sentiebat se Alcibiade recepto nullius momenti apud exercitum futurum et, si quid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore, contra ea, si quid adversi accidisset, se unum eius delicti futurum
 5 reum. ab hoc discedens Alcibiades 'quoniam' inquit 'victoriae patriae repugnas, illud moneo, ne iuxta hostem castra habeas nautica: periculum est enim, ne immodestia militum vestrorum occasio

6 detur Lysandro vestri opprimendi exercitus.' neque ea res illum fefellit. nam Lysander, cum per speculatorum comperisset vulgum Atheniensium in terram praedatum exisse navesque paene inanes relictas, tempus rei gerendae non dimisit eoque impetu bellum totum delevit.

9 At Alcibiades, victis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraeciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime 2 suam fortunam oculi posse. falso. nam Thraeces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt: qui ea quae apportarat ab 3 stulerunt, ipsum capere non potuerunt. ille cernens nullum locum sibi tutum in Graecia propter potentiam Lacedaemoniorum ad Pharnabazum in Asiam transiit, quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. namque ei Grynum dederat, in Phrygia castrum, ex quo quin- 4 quagena talenta vectigalis capiebat. qua fortuna Alcibiades non erat contentus neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat pati. itaque ad patriam 5 liberandam omni ferebatur cogitatione. sed videbat id sine rege Perse non posse fieri, ideoque eum amicum sibi cupiebat adiungi neque dubitabat facile se consecuturum, si modo eius conveniundi habuisset potestatem. nam Cyrus fratrem ei bellum clam parare Lacedaemoniis adiuvantibus sciebat: id si ei aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat. 10 Haec cum moliretur peteretque a Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias ce-

terique tyranni Atheniensium certos homines ad Ly-
sandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem
facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum
rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset:
quare, si suas res gestas manere vellet, illum per-
2 sequeretur. his Laco rebus commotus statuit accu-
ratius sibi agendum cum Pharnabazo. huic ergo
renuntiat quae regi cum Lacedaemoniis essent, nisi
Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset.
3 non tulit hunc satrapes et violare clementiam quam
regis opes minui maluit. itaque misit Susamithren
et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, cum ille
esset in Phrygia iterque ad regem compararet.
missi clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat,
4 dant negotium ut eum interficiant. illi cum ferro
aggrederent, noctu ligna contulerunt circa
casam eam, in qua quiescebat, eamque succende-
runt, ut incendio conficerent, quem manu superari
5 posse diffidebant. ille autem ut sonitu flammarum
est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, fami-
iliaris sui subalare telum eripuit. namque erat cum
eo quidam ex Arcadia hospes, qui numquam disce-
dere voluerat. hunc sequi se iubet et id quod in
praesentia vestimentorum fuit arripuit. his in ignem
6 coniectis flammarum vim transiit. quem ut barbari in-
cendium effugisse viderunt, telis eminus missis in-
terfecerunt caputque eius ad Pharnabazum rettule-
runt. at mulier, quae cum eo vivere consuerat,
muliebri sua veste contectum aedificii incendio
mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum

erat comparatum. sic Alcibiades annos circiter XL natus diem obiit supremum.

11 Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, post aliquanto natus, et Timaeus: qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando
 2 consenserunt. namque ea, quae supra scripsimus, de eo praedicarunt atque hoc amplius: cum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes splen-
 3 dore ac dignitate superasse vitae; postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inser-
 visse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare (omnes enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii acumini inserviunt);
 4 eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud Thraecas homines vinolentos rebusque veneriis deditos: hos
 5 quoque in his rebus antecessisse; venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetudinem,
 6 ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. quibus rebus effecisse ut, apud quoscumque esset, princeps poneretur habereturque carissimus. sed satis de hoc: reliquos ordiamur.

INSTYTUT
BADAŃ LITERACKICH PAN

BIBLIOTEKA

00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat 24

Tel. 26-68-63

<http://rcin.org.pl>

E p a m i n o n d a s

Epaminondas, syn Polymnisa, urodził się w Thebach ok. r. 420 przed Chr.: wychował go Pythagorajczyk Lysis. W rządach swej ojczyzny brał udział od r. 480, zreorganizował wojsko i przyczynił się do powstania Związku Boiockiego (479 r.). Mianowany w r. 371 boiotarchą (głównym dowódcą), stoczył ze Spartanami pod wodzą Kleombrota bitwę pod Leuktrami 5 lipca 371, gdzie mimo liczniejszej przewagi przeciwnika (10.000 Spartan przeciw 6.000 Boiotom), dzięki zastosowaniu klinowego szyku bojowego, odniósł świetne zwycięstwo, i przeniósł wojnę na Peloponnesos, oswobodzając Arkadów, Messenów i doprowadzając do koalicji antyspartańskiej, która się jednak nie utrzymała. Zginął w bitwie pod Mantineją 462 r. Uchodzi za ucieśnienie pythagorajskiego ideału człowieka i polityka.

1 Epaminondas, Polymni filius, Thebanus. de
hoc priusquam scribimus, haec praecipienda viden-
tur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant,
neve ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud
2 ceteros fuisse arbitrentur. scimus enim musicen
nostris moribus abesse a principis persona, saltare
vero etiam in vitiis poni: quae omnia apud Graecos
3 et grata et laude digna ducuntur. cum autem expri-

mere imaginem consuetudinis atque vitae velimus
 Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere,
⁴ quod pertineat ad eam declarandam. quare dicemus
 primum de genere eius, deinde quibus disciplinis
 et a quibus sit eruditus, tum de moribus ingeniique
 facultatibus; et si qua alia memoria digna erunt;
 postremo de rebus gestis, quae a plurimis animi
 anteponuntur virtutibus.

² Natus igitur patre, quo diximus, genere ho-
 nesto, pauper iam a maioribus relictus, eruditus au-
 tem sic ut nemo Thebanus magis. nam et cithari-
 zare et cantare ad chordarum sonum doctus est a
 Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria quam
 Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt no-
 mina, cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Cal-
² liphrone. at philosophiae paeceptorem habuit Ly-
 sim Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit
 deditus, ut adulescens tristem ac severum senem
 omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit;
 neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis
 tanto antecessit condiscipulos, ut facile intellegi
 posset pari modo superaturum omnes in ceteris ar-
³ tibus. atque haec ad nostram consuetudinem sunt
 levia et potius contemnenda; at in Graecia, utique
⁴ olim, magnae laudi erant. postquam ephebus est
 factus et palaestrae dare operam coepit, non tam
 magnitudini virium servivit quam velocitati: illam
 enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat
⁵ utilitatem pertinere. itaque exercebatur plurimum
 currendo et luctando ad eum finem, quoad stans

complecti posset atque contendere. in armis vero plurimum studii consumebat.

3 Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens,
 2 ut ne ioco quidem mentiretur. idem continens, clemens patiensque admirandum in modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens iniurias, in primis commissa celans, quod interdum non minus prodest quam diserte dicere, studiosus audiendi: ex
 3 hoc enim facillime disci arbitrabatur. itaque cum in circulum venisset, in quo aut de re publica disputaretur aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermo
 4 esset adductus. paupertatem adeo facile perpessus est, ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit. amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut iudicari
 5 possit omnia ei cum amicis fuisse communia. nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus aut virgo amici nubilis quae propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat et, quantum quisque daret, pro facultatibus
 6 imperabat. eamque summam cum fecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent faciebat, ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret quantum cuique deberet.

4 Tentata autem eius est abstinentia a Diome-

donte Cyziceno: namque is rogatu Artaxerxis regis
 Epaminondam pecunia corrumpendum susceperebat.
 hic magno cum pondere auri Thebas venit et Mi-
 cythum adulescentulum quinque talentis ad suam
 perduxit voluntatem quem tum Epaminondas plurim-
 um diligebat. Micythus Epaminondam convenit et
 2 causam adventus Diomedontis ostendit. at ille Dio-
 medonti coram 'nihil — inquit — opus pecunia est: nam
 si rex ea vult, quae Thebanis sunt utilia, gratis fa-
 cere sum paratus, sin autem contraria, non habet
 auri atque argenti satis. namque orbis terrarum di-
 3 vitias accipere nolo pro patriae caritate. tu quod
 me incognitum tentasti tuique similem existimasti,
 non miror tibique ignosco; sed egredere propere,
 ne alios corrumpas, cum me non potueris. et tu,
 Micythe, argentum huic redde, aut, nisi id confe-
 4 stim facis, ego te tradam magistratui.' hunc Dio-
 medon cum rogaret, ut tuto exiret suaque, quae at-
 tulerat, liceret efferre, 'istud quidem — inquit — faciam,
 neque tua causa, sed mea, ne, si tibi sit pecunia
 adempta, aliquis dicat id ad me ereptum pervenisse,
 5 quod delatum accipere noluissem.' a quo cum
 quaesisset, quo se deduci vellet, et ille Athenas
 dixisset, praesidium dedit, ut tuto perveniret. neque
 vero id satis habuit, sed etiam, ut inviolatus in na-
 vem ascenderet, per Chabriam Athenensem, de
 6 quo supra mentionem fecimus, effecit. abstinentiae
 erit hoc satis testimonium. plurima quidem proferre
 possimus, sed modus adhibendus est, quoniam uno
 hoc volumine vitam excellentium virorum complu-

rium concludere constituimus, quorum separatim multis milibus versum complures scriptores ante nos explicarunt.

- 5 Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in perpetua oratione ornatus.
- 2 habuit obtrectatorem Menecliden quandam, indidem Thebis, et adversarium in administranda re publica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet: namque illi genti plus inest virium quam ingenii.
- 3 is quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. huic ille 'fallis — inquit — verbo civis tuos, quod hos a bello
- 4 avocas: otii enim nomine servitutem concilias. nam paritur pax bello. itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. quare si principes Graeciae vultis esse, castris est vobis utendum, non
- 5 palaestra.' idem ille Meneclides cum huic obiceret, quod liberos non haberet neque uxorem duxisset, maximeque insolentiam, quod sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus: at ille 'desine, — inquit — Meneclida, de uxore mihi exprobrare: nam nullius in ista re minus uti consilio volo' (habebat
- 6 enim Meneclides suspicionem adulteri.) 'quod autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris. namque ille cum universa Graecia vix decem annis unam cepit urbem, ego contra ea una urbe nostra dieque uno totam Graeciam Lacedaemoniis fugatis liberavi.'

- 6 Idem cum in conventum venisset Arcadum,
petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis fa-
cerent, contraque Callistratus, Atheniensium legatus,
qui eloquentia omnes eo praestabat tempore, postu-
laret ut potius amicitiam sequerentur Atticorum, et
in oratione sua multa invectus esset in Thebanos
2 et Argivos in eisque hoc posuisset, animum adver-
tere debere Arcadas, qualis utraque civitas civis
procreasset, ex quibus de ceteris possent iudicare:
Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem matri-
cidas, Thebis Oedipum natum, qui, cum patrem
suum interfecisset, ex matre liberos procreasset:
3 huic in respondendo Epaminondas, cum de ceteris
perorasset, postquam ad illa duo opprobria perve-
nit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui
non animadverterit, innocentes illos natos domi,
scelere admisso cum patria essent expulsi, receptos
4 esse ab Atheniensibus. sed maxime eius eloquentia
eluxit Spartae legati ante pugnam Leuctricam. quo
cum omnium sociorum convenienter legati, coram
frequentissimo legationum conventu sic Lacedaemo-
niorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa ora-
tione opes eorum concusserit quam Leuctrica pugna-
tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio
Lacedaemonii sociorum privarentur.
- 7 Fuisse patientem suorumque iniurias ferentem
civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret,
haec sunt testimonia. cum eum propter invidiam
cives sui praeficere exercitui noluissent duxque es-
set delectus belli imperitus, cuius errore eo esset

deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute
 pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab
 hostibus obsidebantur, desiderari coepit est Epami-
 nondae diligentia: erat enim ibi privatus numero
 2 militis. a quo cum peterent opem, nullam adhibuit
 memoriam contumeliae et exercitum obsidione libe-
 ratum domum reduxit incolumem. nec vero hoc
 3 semel fecit, sed saepius. maxime autem fuit illustre,
 cum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus
 Lacedaemonios haberetque collegas duos, quorum
 alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. hi cum
 criminibus adversariorum omnes in invidiam venis-
 sent ob eamque rem imperium iis esset abrogatum
 atque in eorum locum alii praetores successissent,
 4 Epaminondas populi scito non paruit idemque ut
 facerent persuasit collegis et bellum, quod suscep-
 rat, gessit. namque animadvertebat, nisi id fecisset,
 totum exercitum propter praetorum imprudentiam
 5 inscitiamque belli peritum. lex erat Thebis, quae
 morte multabat, si quis imperium diutius retinuisse-
 tam lege praefinitum foret. hanc Epaminondas
 cum rei publicae conservandae causa latam videret,
 ad perniciem civitatis conferre noluit et quattuor
 mensibus diutius, quam populus iusserat, gessit
 imperium.
 8 Postquam domum redditum est collegae eius
 hoc crimine accusabantur. quibus ille permisit, ut
 omnem causam in se transferrent suaque opera fac-
 tum contenderent, ut legi non oboedirent. qua de-
 fensione illis periculo liberatis nemo Epaminondam

responsorum putabat, quod quid diceret non habebat. at ille in iudicium venit, nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est neque recusavit quo minus legis poenam subiret, sed unum ab iis petit, ut in periculo suo inscriberent: 'Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie, quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent, neque prius bellare destitit, quam Messene restituta urbem eorum obsidione clausit.' haec cum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam iudex ausus est de eo ferre suffragium. sic a iudicio capitatis maxima discessit gloria.

Hic extremo tempore imperator apud Mantinea cum acie instructa audacius instaret hostes, cognitus a Lacedaemoniis, quod in unius pernicie eius patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt, quam magna caede multisque occisis fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparso eminus percutsum, concidere viderunt. huius casu aliquantum retardati sunt Boeotii, neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantis profligarunt. at Epaminondas, cum animadverteret mortiferum se vulnus

accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emisurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est
 4 vicesse Boeotios. id postquam audivit, 'satis' — inquit — vixi: invictus enim morior.' tum ferro extracto confestim exanimatus est.

10 Hic uxorem numquam duxit. in quo cum reprehenderetur quod liberos non relinqueret, a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret, 'vide — inquit — ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis.
 2 neque vero stirps potest mihi deesse: namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit ne-
 3 cesse est.' quo tempore duce Pelopida exsules Thebas occuparunt et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est caedes civium, domo se tenuit, quod neque malos defendere volebat neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret: namque omnem civilem victoriam funestam putabat. idem, postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coeptum est, in primis stetit.

4 Huius de virtutibus vitaque satis erit dictum,
 . si hoc unum adiunxero, quod nemo ibit infitias, Thebas et ante Epaminondam natum et post eiusdem interitum perpetuo alieno paruisse imperio, contra ea, quamdiu ille praefuerit rei publicae, caput fuisse totius Graeciae. ex quo intellegi potest unum hominem pluris quam civitatem fuisse.

37. Plinius, Historia naturalis
38. Plinius Mł., Listy
39. Suetonius, Divus Augustus
40. Valerius Maximus, Exempla.

Z literatury chrześcijańskiej:

41. Liturgica (liturgia z przekładem, psalmy, hymny)
42. Minucius Felix, Octavius
43. Cyprianus, Wybór
44. Ps.-Ambrosius Martyrium s. Agnetis
45. Augustinus, Confessiones (wybór)
46. Hieronymus, De Malcho servo
47. Prudentius, Hymny
48. Boethius, De consolatione philosophiae
49. Gregorius M., Dialogi
50. Thomas a Kempis, De imitatione Christi

Z literatury polsko-łacińskiej:

51. Proza średniowieczna (Gallus, Vincentius)
52. Pieśni średniowieczne
53. Z listowników humanistycznych
54. Długosz, Dzieje polskie
55. Hussovianus, De bisonte
56. Krzycki - Dantyszek, Poezje
55. Janicki, Elegie
57. Kochanowski, Poezje
59. Sarbiewski, Ody i Epody
60. Sarbiewski, Epigramy, Lechias, Silviludia.

II ZBIÓR PISARZY KLASYCZNYCH

Cena tomu 2,40 zł (dla Filomatów 1,85 zł)

- | | |
|---|----------------------------------|
| 1. Wybór z pism filozof. Cicerona (cena 2,75). | 10. Sallustius, Bellum Catilinae |
| 2. Cicero, Mowa w obronie poety Archiasa (cena 2,25) | 11. Cicero, In Catilinam I-IV |
| 3. Chrestomateria matematyki greckiej z przekł. łacińskim | 12. Livius, Dzieje rzymskie |
| 4. Horatius, Wybór poezji | 13. Tacitus, Wybór z pism |
| 5. Vergilius, Wybór poezji | 14. Apuleius, Amor i Psyche |
| 6. Ovidius, Wybór poezji | 15. Sarbiewski, Wybór poezji |
| 7. Phaedrus, Bajki | |
| 8. Corn. Nepos, Zyciorysy | |
| 9. Caesar, Bellum Gallicum | |

BIBLIOTECKA FILOMATY

Filomaci korzystają z ceny zniżonej.

1. Lewicki T. M., O triumfie rzymskim	0·65 zł
2. " W szkole atheńskiej	0·65 zł
3. Bourget P., Dobosz tłum. O. Cybulskiego	0·50 zł
4. Krzemicka I., Powrót Odyssa	1·50 zł
5. Schulbaumówna Z., Aspasia	1·25 zł
6. Krzemicka I., Pieśniarz życia, Hesiodos	0·65 zł
7. Barbaszowa M., Cornelia, matka Gracchów	0·65 zł
8. Goldberger St. Prawo rzymskie	0·65 zł
9. Lewicki T. M., O widowiskach rzymskich	0·65 zł
10. Ganszyniec R., Dzieje naszego abecadła.	1— zł
11. Schenkelbach H., Agrippina, matka Nerona	1— zł
12. Schulbaumówna-Rapaport, Xenophon	0·80 zł
13. Press I., Od alchemji do chemji	0·80 zł
14. Sandauer A., Theokritos, twórca sielanki	1— zł
15. Sadowska St., Diocletianus	0·80 zł
16. Lewicki T. M., Rocznica urodzin magnata rzymsk. 1— zł	
17. Biliński Br., Hannibal	0·80 zł
18. Barbaszowa M., Vestalka	0·80 zł
19. Schulbaumówna Z., Kleopatra	1·20 zł
20. Pilch St., P. C. Tacitus	0·65 zł
21. Krzemicka I., O gród Ilionu	1·50 zł
22. Czuprówna J., Pindaros, piewca olympioników	1— zł
23. Świeżawski St., Boēthius, ostatni Rzymianin	0·80 zł
24. Stocka I., Odkrycie Troi i świata Homera	1·25 zł
25/6. 33/4. Lewicki, Wywczasy poety (Horacy) I—IV po	0·80 zł
27. Drzewiecki J. Syn wyzwolenca	0·80 zł
28. Qu. Horatius Flaccus, Wybór poezji	0·80 zł
29. Wąsowicz J., Hippokrates i medycyna starożytna	1— zł
30. Macaulay Th. Pieśni starorzymskie	1·75 zł
31. Srebrny St., Co zawdzięczamy kulturze staroż.	1— zł
32. Kaczkowski St., Na nutę Horacego	1·20 zł
35. Hospodarewska J., Kuchnia starożytna	1— zł
36. Dąmbska I., Platon	1— zł
37. Lechicki Cz., Cato Starszy	0·80 zł
Witwicki Wł., O jedności prawdy i dobra	1— zł

F

23.834